

juriam. Quod si verò ex actis non appareat, reum planè esse innocentem, sed exinde saltem defendatur, quod neque confessus, neque convictus fuerit, tum jure quidem definitivè est absolvendus, sed favore reipubl. hoc casu absolvitur tantùm ab observatione judicii, atque ita dimittitur vel simpliciter, vel datis fidejussoribus, quandocunque Judex eum iterum vocaturus sit. Rob. Maranta *part. 6. num. 52. pag. 216.* Absolvitur autem reus *ab observatione Judicii*, quando per sententiam liber pronunciatur, quod ob accusatum crimen non probatum amplius in illo judicio comparere & stare, multò minus in carcere federe cogatur.

Altera pars continet casum *repetendarum expensarum*. Nimirum si absolutus ad restitutionem expensarum & damni accepti, nec non satisfactionem injuriæ contra malitiosum accusatorem agere velit, quod tum civili actione coram eodem judice possit illum convenire, vel etiam apud Judicem ordinarium actionem illam instituere, prout illud supra *artic. 12.* pluribus fuit expositum. Quod tamen intelligendum est in tali casu, quo accusator justam & probabilem litigandi causam non habuit, & in probando defecit. Quod si verò accusator justam seu probabilem litigandi causam habuerit, tum reus absolutus contra eum, etiamsi in probando defecerit, regressum, & actionem non habet. Vide infra *artic. 201.* Vigel. *cap. 5. reg. 10. & 11. p. 178. ad Constit. Carolin.* Sibi namque imputet, quod actionibus suis se fecerit suspectum, & ansam præbuerit institutæ accusationi: nam oportet unumquemque non tantùm sibi cavere à delicto, sed etiam à suspitione delicti.

## ARTIC. C.

*Captiosas, inutiles, & minus necessarias interrogationes in judicio fieri non debere.*

Von unnothdürfftigen / unnützen / gefährlichen Fragen / so vor Gericht beschehen.

Nachdem auch uns angelanget ist / daß bisher an etlichen peinlichen Gerichten / viel überflüssiger Frage und Andingung gebraucht / die zu keiner Erfahrung der Wahrheit / oder Gerechtigkeit noth sind / sondern allein das Recht verlängern und verhindern / Solche und